



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1658**

§. 130. Iesus autem responsum non dedit ei. v. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

Deo vero genitus non factus, consubstantialis patri per quem omnia facta sunt. Da mihi sedium tuarum afflictricem sapientiam quæ mecum ut, mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te, da ut tuam maiestatem non scrutari desiderem supra captum meum, ne obuiar à gloria; sed humiliter credam & adorem omni tempore, & loco, ut saluet.

§. 130. Iesus autem responsum non dedit ei. v. 10.

Incapax Pilatus erat ad hæc sublimia intelligenda, & hoc propter tria, primo quidem, quia Pilatus homo gentilis erat, & Idololatra qui Christi æternam generationem capere non potuisset. 2. Quia suam Passionem impedire nolebat, solum enim crux sibi restabat. Si enim edixisset: unde esset, quo patre & matre natus & quomodo, absque dubio non cruci sed glorie throno fuisset additus.

O Iesu impone obsecro frænum linguæ meæ, ut non solum ab illicitis & inutilibus verbis absteineat, sed licitis etiam & utilibus utatur prudenter. Et quoniam difficile est feram hanc mea virtute mitescere, & serpentis huius venena excantari, eam tu Domine comprime, tuaque gratia purifica ut ea refrænata, recolligatur & quiescat in te cor meum. Fac me profundissimum sanctissimumque illud tuum silentium imitari, quo & ab iniquo Iudice calumniis & falsis accusationibus impetitus, tanquam mutus os non aperuisti, nec te exculare, nec mortem responso tuo impedire voluisti. Et quando me loqui fuerit necesse fac me omnes leges & circumstantias requisitas observare, atque ita proloqui, ut verba mea tibi imprimis placeant, animam vero meam non lædant, aut scandalizent proximum. Amen.

§. 131. Dicit ergo Pilatus: Mihi non loqueris? v. 10.

Pilatus ignorans quare Iesus sileret ad interrogatum suum, silentium eius qua potuit instantia rumpere studuit, austerius dicens: *mibi non loqueris iudicis tuo, Romanorum Præsidi summa in potestate constituto, cui ius gladii in hac Provincia concessum est. cum tu econtra egeas opera mea.* Ad quæstionem tamen unde esset, responsum Christus non dedit Pilato, propter fortissimas causas, quas Dominus habebat, & nos conijcere possumus maximas, cum Pilatus suammet interrogacionem ipse non intelligeret. Quomodo enim tunc caperet responsonem.

Domine Iesu, indignatur Pilatus quod non respondeas ad istam interrogacionem *unde es tu?* Sed ipse nesciebat quid quærebat, & tu explicare

N

care